



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesia Cathedrali Cæsaravgvstæ. Ioannis Baptistæ Tvrricelli Responsum

Torricelli, Giovanni Battista

Romæ, 1656

Num. 13. Ex structura Ecclesiae S. Saluatoris ostenditur eam ab erectione
Ecclesiam, & non Mezquitam fuisse prout Rota existimavit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13380

Valentina scripsit *Bernard. Gomez. in histor. Jacobi Regis lib. 12 in princ.* ubi hanc Maurorum, & Christianorum consuetudinem euentendi, & restituendi Cathedrales in Ecclesia Valentina ad oculum expressit his verbis, *Iamque Rege, & aliis maximas Christo gratias ob expiatam in ea Vrbe impietatem Mahumetanam, & veram Christi Religionem inductam reddentibus, ipsamet ades in honorem, & nomen Beatissima Virginis, & Matris consecrata fuit post tot illius mutatas olim appellationes, quarum prima Romanorū tempore ut ex lapidibus incisis, aliisque vestigiis, & monumentis litterarū Colligere est Diane fuit. Deinde occupantibus Hispaniam Gothis, & Religionem Christi suscipientibus, Seruatoris ut creditur: Post Saracenis Regnum cū reliqua Hispania inuadentibus Mahumeti: Rursus Ruizio Diazio cognomento Cidi, strenuo Castelle Regulo, qui eandem Urbē ex Saracenorū manibus eripuit, ac Christianis restituit, Diui Petri: sed breui recuperantibus postea Urbem Saracenis iterum contaminata Mahumetto cessit, quo ad Iacobus denuo expiatam illam Sac. Virgini in perpetuum dicauit.*

Hinc quatenus in Ecclesia Corduben. contrarium contigerit, vnicum exemplum neque dictæ consuetudinis veritatem destruit, neque eiusdem in Ecclesia Cæsaraugustana obseruantiam excludit; prout vnus Aynsæ auctoritas in re, quæ communi scriptorum traditioni aduersatur, non meretur attendi; Maximè cum de Ecclesia Cæsaraugustana idem, quod Carillus, & Zurita vel ipse senserit quorum sententiã non retulit simpliciter sed manifestè approbavit; dum enarrato Cæsaraugustanæ Ecclesiæ statu, quem, & Maurorum, & posterioribus, ac superioribus temporibus eam sortitam Carill. & Zurita Scripsere, idem Ecclesiæ Ossetanæ euenisse subiungit, quæ verba eandem omnino in diuerso casu censuram indicant ad *text in l. cum hi S. sed, & si pluribus ff. de transact. Bald. cons. 94. num. 2. vol. 3. & Rota rec. par. 4. tom. 3. decis. 572. num. 3.*

N. 13. Postremò quæ circa Ecclesiæ structuram Mezquitæ potius, quam

quam antiquo templo accedentem, habentur in *decis. sub num. 102.* ipsa facti veritas tollit: cum Ecclesiæ moles ardua, conspicua, & Crucis similitudinem præferens, vt ex testiu depositionibus cõstat, & *Murilli descriptione in tract. de excell. Casar augustæ cap. 27.* Mezquitarum structuræ conuenire non possit, quas obscuras atque humiles neque instar Crucis edificatas agnouit ipsa *decisio sub nu. 12.*

Nec refragatur Ecclesiæ huius caput septentrionem respicere contra antiquum Ecclesiarum morem, quas ad Orientem sitas communis SS. Patrum probat auctoritas.

Nam quidquid sit de huiusmodi consuetudine, eam demum tunc obseruatam accipere debemus quando situs id patiebatur, & commodè fieri poterat, quemadmodum admonet *S. Paulinus Epist. 12. ad Seuerum, Azor. instit. moral. par. 2. lib. 9. cap. 3.* & multas ex antiquissimis Urbis Ecclesijs ad Orientem minime versas videmus: ipsumque Sacellum del Pilar Sanctissimæ Virginis Imaginem ad occidentem vt audio positam exhibens; Altare verò ad septentrionem conuersum: Quod tamen Sacelli antiquitatem dubiam non reddit, prout non dubitatur de Ecclesiæ Taraconen. Oscan. & Valentinæ antiquitate etiam si in ijs Altare maius ad septentrionem sit collocatum.

*Confutatio eorum quæ pro Cathedralitate
Ecclesiæ del Pilar adducuntur,
Caput Tertium.*

Firmata ex præsentis statu, cui ponderata adminicula suffragantur, etiam anteriori, & primæua Cathedralitate Ecclesiæ S. Saluatoris, superest refellere quæ pro Ecclesiæ B. Mariæ del Pilar primo capite proposuimus.

Itaque ad primum argumentum quod P. Lezana ingeniosè N. 14. excitat facilis mea sententia est responsio, non enim quia Ecclesiæ à B. Iacobo fundata fuerit, vel quia Apostolus in